



## SECTIO TERTIA De Suspensione Fluidorum in Tubis.

### §. XLIII.

**F**requens demonstrat experientia, corpora fluida, si sint grossiora, in tubis suspendi: sic hydrargyrum in tubis torricellianis, seu barometis, sic aqua in tubis, & antiis adspirantibus manet suspensa.

### §. XLIV.

Hujus suspensionis causam Peripatetici ponunt in metu vacui dictitantes: rebus omnibus ab autore mundi inditam esse vim quamdam conservandi unionem universi, ac consequenter resistendi dissolutioni partium, ne scilicet partibus dissolutis vacuum irrepat, & necessariam totius Universi unionem destruat. Eam vim metum vacui compellant, quatenus nempe corpora praesertim fluida ex metu, ne detur vacuum in locis, ubi cedentibus alijs corporibus proximum est ejusdem periculum, contra naturae leges, ac propriam inclinationem sursum ascendunt, & suspensa haerent. Ideo, inquit, mercurius in barometro suspenditur, ne ipso descendente tubus vacuus foret. Ideo etiam aqua in siphonibus sursum ascendit, ne extracto ex illis aere interior capacitas vacua remaneret. Verum haec opinio de metu vacui concepta a modernis omni profus experientia, ac ipsa etiam ratione veluti vacua exploditur.

§. XLV.